DE
ODORUM EFFECTIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE I. M. AUGUSTII A. MDCCCXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS LUCIAN. DE *MOELLER,*
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
SICK, MED. ET CHIR. DR.
FUNCK, MED. ET CHIR. DR.
HEYMANN, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

Πάντα γὰρ ὄυπω
Ἐκ Διὸς ἄνθρωποι γιγώσκομὲν ἀλλ᾽ ἔτι πολλὰ
Κέκρυπται.

Ἀράτου Διοσῆμεια v. 767. s. s.

PATRI OPTIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE LITERARUM SUARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Non immerito certe Lichtenberg dixit, scientiam naturalem, si oculi nostri caetutirent, valde diminutam iri, simulque, cum caeterae hominum doctrinae omnes ex hoc fonte ducant originem, quascunque disciplinas excelsiores inferiores prorsus ac perditas futuras esse. Contra vero sensuum numero aucto intelligentiae nostrae angustias ita prolatas iri, ut, si praesentem cum tunc temporis compares physicen, non hominis, sed ostreae, habeas.

Quae quidem verba, si de sensu neglecto intelligimus, haud dubie idem valent, quod de plane deficiente; inexercitus enim nobis aliisque fit inutilis, exercitus vero eundem dat usum, quem novus percipiendi modus evocasset. Tali vero neglectione derisioneque olfactum laborare, omnibus est in confesso, quod, cum visus et auditus observatio ditissimum acutae atque diligentis indagationis pretium obtulerint, valde mirabile videtur. Majoris quidem aestimatur olfactus nunc, quam ante nostra aetate excitatam scientiarum cupiditatem; sed nondum magni Halleri verba *), mire esse neglectam corpusculorum odorificorum cognitionem, cum et soni et lucis theoria ad raram altitudinem jam diu sit exculta, tanquam obsoleta nominari licet. Utrum hujus negligentiae causa sit posita in singulari hominum na-

*) Elementa Physiologiae T. V. p. 154.

tura, quae nil nisi inusitatum admiretur, eamque ob rem vim animali humillimo communem non respiciat, an, in incerta verborum ratione, qua plurimae excultorum populorum linguae laborant, ad naturam odorum exprimendam, difficile est dijudicatu *).

Attamen id pro certo habere possumus, olfactus organum sive locum, formam et structuram, sive connexum et sympathiam observemus, magnam efficere posse organismi commutationem. Nervus, qui proprie sensui est destinatus, prae caeteris per mollitiem, extensionem et ex insigni cerebri crure originem, ad quemvis in animum atque corpus effectum aptus redditur, si modo sicut alios sensus diligenti cultura dignum habeamus. Nonne auditus et visus aeque despecti easdem obscuras atque incertas imagines, easdemque leves evocarent cogitationes? Sensum quorundam Africae meridionalis populorum musicum cum eo Mozarti, Haendelii comparantibus nobis vix minima similitudo existit, visum Raphaelis et miserabilis illius Americanae gentis, quam viatores Pescheraeh vocabant, contemplantibus dubium erit, utrum alteri deficiat sensus, an alteri plures sint solitis. Mirae hujus differentiae causa non ex forma, structura etc., sed, etiamsi non sola, ex cerebri consuetudine ac frequenti diligentique usu consecuta, impressiones singulis animi partibus, ut excolantur ordinenturque,

*) Verhältnisse der fünferlei Classen der äufsern sinnlichen Erscheinungen zu einander, von M. ZENNECK, in Gilbert's Annalen der Physik, n. F. XXI. 2. p. 162.

tradendi, alacritate derivanda videtur. Et in odoribus est Musica quaedam colorumque ars, sed desunt, qui hanc sentiant naturam, sicuti pulcherrimis fidibus dulcem harmoniam elicere rudes manus nequeunt.

Sit etiam odorum in animum efficacia minor aliorum sensuum objectis, tamen quas in corpore excitant mutationes sunt insignes atque admirabiles. Quis nondum odore cadaverum putrescentium horrendam senserit anxietatem, vel in cloacis modo apertis atrocem nauseam? Quis nondum viderit, armoracea, plumis ustis asphyctum in vitam revocatum? Jam Hippocrates *) per olfactum refici jubet eos, qui celeri refectione indigeant.

Nunquam tali eventu sonis licet fortissimis aut coloribus splendidissimis adhibitis medicus gaudebit. Hanc efficaciam magna odorum extensione eaque evocata stimulorum multiplicatione admodum augeri, non praetermittendum est. Inter innumera terrae corpora vix pauca inveniuntur, quae odoratum omnino non afficiunt, et ne illa quidem odoris fonte sunt destituta. Certum videtur, incommoda, et quae viribus ignotis semperque irruentibus producantur, et quae ex amisso usu superveniant, maximi esse momenti.

Odoratum quoad effectus cum visu et auditu conjungendi tentamen est, quod, ut dissertationis inauguralis non indignum thema, his in pagellis

*) De nutrimentis 43.

conscribere mihi proposui. Sub odorum voce igitur tantum ea intelligo objecta, quae in nervum olfactorium vim propriam habent, ita ut omnes illi effectus excludantur, qui solummodo ex irritatione directa rami nasalis nervi trigemini creantur, v. g. sternutatio corpusculorum acrium influentia concitata; summopere enim differunt a sensu olfactorio et quoad causam et quoad efficiendi modum, magisque sunt tactui affines.

Primo natura odorum explicanda; ea enim occulta rationes efficaciae generales frustra investigantur. Deinde cum tot incitamentorum in hominem influentiae, consuetudo nempe, vitae genus, voluntas, obstant, quibus valde mutantur atque variantur odorum effectus, melius progrediemur, si antea in caetera animalia exploratum habemus. Tertium caput differentias, quantum fieri potest, proponet, e quibus majoris hujus varietatis causae derivantur, ita, ut, his praemissis, odorum effectus in hominem accuratius inspicere ac intelligere possimus, qui sint in corpus atque animum. Longe absum, ut credam, hoc opusculo rem difficilem novis sententiis esse affirmatam, eique hypothesibus parum certis usum eventurum. Te vero, lector benevole, precor obtestorque, has qualescunque pagellas miti animo accipias Fontenelliani illius recordante, homines nil verum sanumque indagare atque confirmare posse, nisi omnes de hac re errores antea experierint et repudiarint.

CAPUT I.

DE ODORUM NATURA.

§. 1. In omnibus tribus, quae dicunt, naturae regnis, corpora inveniuntur, quae certis sub conditionibus par primum nervorum ita afficiunt, ut, quam primum hujus affectionis sensus ad cerebrum transportetur, corporis odorem sentiamus. Nervi olfactorii irritationem negatam non videmus, etsi ad hanc usque aetatem nervo trigemino eandem sensationem concedendam multi putavere; de eo vero diu certatum, quae sint conditiones corpora olida facientes, neque rariores sunt hypotheses, quam de vi vitali, Archaeo, nescio quibus aliis, a physiologis projectae.

§. 2. Prima physices aetate aeque ac omnia corporum phaenomena, odores intelligenti quasi, omnesque sensibiles mutationes sano quodam judicio dirigenti, principio tribuere. Dein magis magisque a rerum natura remoti novam theoriam constituere et odorum causas propius inquirere studuerunt, quas, cum saepissime materias viderent olendo diminutas, ex evaporatione corporum particulas olentes propellente derivarunt; certe theoria, ut mirandae odorum varietatis causa non deesset utilissima. Cum mechanica virium naturae theoria in profundum ceciderit, in dynamica vero denuo recepta vitae principium omniumque stimulorum melius fundatum apparuerit, de

illa quoque evaporatione experiebatur, et Moschum per multorum annorum spatium olentem nullam offerre substantiae amissionem sensibilem, alia vero corpora, aquam v. c., quam maxime evaporantia ne pauxillum quidem olere, ex experimentis resultavit. Difficile quidem est intellectu primum, quo modo fiat, ut, corpusculis deficientibus, odorum vigor a supellice, cubiculis retineatur. Sed natura varia neque rara exempla ostendit, quibus demonstratur, corpora sine virium imminutione aliis impertire facultatem easdem aliis cum materiis communicandi, puta ferrum magneticum. Porro, quam plurimorum corporum pondus imminuitur, v. c. camphorae, naphthae, oleorum aethereorum; sane quidem, sed si eam ob causam contendatur, evaporationem odori evocando necessariam, consequentia non minus falsa videtur quam illa: in corpore humano moribundo animus habitat, ergo et hic mortalis. Odor evaporationi non magis est obnoxius, quam arborum efflorescentia ranarum conviciis.

Chemia recentioribus temporibus mire exculta docuit, corporum, quae praecipue odore penetranti volatilique gauderent, partem prae caeteris esse constitutivam hydrogenium, quod omnium elementorum maxime volatile ea ratione odorum naturae optime adaptabatur, et, cum materialismus plane subitoque repelli non potuit, pro antea laudatis Atomis tanquam causa proxima accipiebatur. Hujus theoriae sectatores odorum varietatem in hydrogenii aliis cum materiis conjunctione positam contendunt. Substantiae pondus minui debet sive hanc sive priorem theoriam laudes, nec facilior causae explicatio redditur, nisi difficilior; si

nempe hydrogenium est, quod solum olfactum afficit, aliae materiae nil in eo mutare possunt, mutatur vero effectus accessis aliis, v. c. azotici materiis, hydrogenium sane non est illud incitamentum, quod nervi olfactorii vitam spicifice excitat.

§. 3. Odorum causas exploraturis nobis praecipue respicienda atque observanda videntur haec. Nervos sensorios eandem cum caeteris omnibus nervis, quibus distincta sensatio non est indicata, habere sensibilitatem qualitativam, quapropter eorum objecta non tam sensuum, quam in universum nervorum sunt dijudicanda, eorumque natura ex vita systematis nervosi deducenda erit. Deinde, odores organo sensorio externo esse destinatas eaque ratione caeterorum sensuum objectis respondere. Porro, de conditionibus saepissime odoratum efficientibus diligentem instituemus observationem; tandemque ad praesentis argumenti solutionem necesse erit, phaenomena, quae plurimam habent analogiam, quorum excitatorum effectus optimam praestant similitudinem cum odoribus, in lucem protrahamus.

§. 4. Inde a memorabili Galvani invento frequentissimis experimentis et observationibus comprobatum et vix dubio alicui submissum remansit, effectum systematis nervosi principalem vi quadam galvanica evocari, sustentari, eamque ad vitam conservandam absolute esse necessariam *). Multae quidem sententiae de vis galvanicae dignitate in vita singulari conser-

*) J. W. Ritter, Beweis, daſs ein beständiger Galvanismus den Lebensproceſs im Thierreiche begleite. Weimar 1798. 4.

vanda nimis sunt extensae, quaecunque theoria, qua systema nervosum tanquam columna voltaïca explicatur, nonnisi valde imperfecta atque vitiosa esse potest, cum infinita atque divina quasi sive tempus sive spatium observes, nervorum facultas, et inter ductores humidos isolatio ejusmodi comparationem omnino non permittat. Et tantum animi angustiis obedit, qui naturam nulla nisi hac una vi uti existimat. De effectibus galvanismi in regnum vegetabile adhuc concertatur *), et in ipsis animalibus inferioribus nondum satis est exploratum, an habeant receptivitatem galvanicam, nec ne. Attamen, ubicunque vitae systemata, sensibilitas et irritabilitas, se ostendunt aeternamque atque validam corporis pro certis legibus mutationem efficiunt, et experimenta, et sana atque modica exinde derivata theoria, illam vim probant praesentem, iique ipsi, qui omnem similitudinem damnant prorsus aut redarguunt, hanc inter systematis nervosi et Galvanismi analogiam negare non possunt. Si vero talis agendi modus in nervis, sensationis transportatoribus existit, nullus fortius eos poterit penetrare quam similis quidam externus, ita ut celeres omnes validaeque qualescunque corporis mutati perceptiones ab eo dependeant, jureque Galvanismum systematis nervosi objectum specificum nominemus, quo remoto alienationes directae fieri nequeant. Exinde sequitur, omnes, quarum praesentiam sentimus, res talem vim ejicere, cui et nos sonum, lucem, odorem debemus.

---

*) Ritter, Bemerkung über Pflanzenerregbarkeit, in Gehlen's Journal der Chemie und Physik. T. VI. 9. p. 46.

§. 5. Pro nervorum receptivitate quantitativa maxime diversa, magna stimulorum varietas expostulatur singulis quibusque sensibilium. Alii enim sibi exposcunt materiam crassiorem, ut sit satis efficax, alii tenuiorem, alii vero, ut ita dicam, solummodo ideam, quae in unum tantum nervorum gradum effectum dirigit et ab hoc tantum percipitur. Nervi sensorii proprie sic dicti, ob singularem receptivitatem tenuioribus influentiis sunt destinati. Influentiae illae nervorum perfectioni analogum quendam observant gradum, eaque incitamenta, quae nervis inferioribus saepe mortem afferunt, a superioribus vix percipiuntur. Nulla vis hucusque nota et quoad vivacem et ineffabilem effectum et quoad e rerum natura progredientem extensionem tam apta videtur ad sensationes has explicandas, quam Galvanismus primi gradus. Qua alia vi colorum in visum effectus per multa milliaria, per tunicam crassam, lamellosam, per plures humores exponas? Quave alia celerem et mirabile omnes vitae facultates penetrantem colorum artis et sonorum potestatem, nisi ex illa? Ipse sensus, qui, grata musica, venusta pictura inexspectato occurrente, nos obruit, nonne magnam habet similitudinem cum eo, quem materia Galvanica per corpus ducta efficit? Alia in formatione phaenomena hanc lucis et sonorum causam primitivam valde affirmant. Nervus olfactorius, vitae sensibili destinatus, nullum alium sentit excitamentum, ac visus, auditus, etc. et solummodo in animatam electricitatem agit atque ex ea ideas recipit.

§. 6. Olfactus imo prae caeteris opportunus videtur ad nervorum sensoriorum demonstrandum schema

zoogalvanicum, cui enim terminus inter nervos, sensationem puram et sensum motumque una producentes, traditus est, quo sensatio perfecta saepius interrumpitur vel prorsus tollitur. Animalium, quae primo olfactu per se existente gaudent, et certissima odorum influentiae ostendunt signa, haud dubie insecta habemus *). Cum simplicior inferioris animalis organisatio majorem de agendi modo praebet intelligentiam, quam superioris plus composita, jure maximoque fructu recentiori tempore ejusmodi observationes institutae sunt indeque cet. par. in alios organismos conclusum. Siquidem naturae, tanquam corporis humani proplasmatis ideam non satis commode accipias neque omnia et singularia vice versa in alterum organismum transferas, nemo duntaxat negabit, certum ordinem atque connexum existere, quem singula quaeque organismorum genera significant subsequentia; et, quae inde deducuntur, affinitates nemo vituperabit. In insectis, quacunque parte aëri, odorum ductori introitum offerentibus maximi esse momenti odorum efficaciam et hujus tantae dignitatis irritamenti naturam in illis vi libera electricitatis frui, augurari licet. Experimenta hac de re nulla aut duntaxat pauxilla adhibita sunt; equidem vidi locustam sub microscopo observatam valde colorum reflectionem variare, prout animalculum retinui in aëre aut camphora aut carne putrescenti impleto; in illo enim colorem coruscum magis magisque in luteum, in hoc vero magis in subluteo-rubrum permutavit, qua colorum permutatio apparuit, quae in sin-

*) Walther, Physiologie II. p. 259.

gulis diversisque galvanisationibus adnotata est. Itaque facilis neque intempestiva videtur argumentatio per camphoram carnemque olentem similes illis effici mutationes, quas igitur eodem modo animal removere cupiat.

§. 7. Omnibus notum, foeminas hystericas, viros hypochondriacos, sicut quamcunque aliam sensationem, prae caeteris vero materiarum nunquam ibi reperiendarum odorem percipere. Saepissime foeminae tenues queruntur de odore moschi, sulphuris etc. Morbum haec symptomata moventem contemplantibus semper fere systematis nervosi affectiones evadunt, et disharmoniam singulorum factorum, majorem naturali in atmosphaeram, magnetismum et mineralem et animalem sensibilitatem, magnam spasmis dispositionem observamus *). Illud odoris phaenomenon ita explicari licet, ut, in nervo olfactorio orta commutatione hucusque quidem et quoad causam et agendi modum plane ignota, sensibilitas eo alienetur, quo objecta quasi moscho vel aliis rebus commutata eam afficiant, aut ita, ut ipse aër eo modo permutatus sit. Quod primam attinet sententiam et phaenomena comitantia et methodus medendi metamorphoses galvanicas significant, quod vero alteram saepissime cum aliis electricis atmosphaerae meteoribus conjunctam videmus sensationem illam.

Porro experientia probatum est, certos odores aequali electricitate commutari augerique, opposita vero quam plurimum diminui, sin secus plane tolli, idem-

---

*) Tissot, traité des nerfs et des leurs maladies. T. II. Lausannes 1780.

que per certa spatia isolatoribus electricis effici. Odor empyreumaticus lactis in fornacem deflucti celeriter destruitur sale culinari admisto, quod, cum ex excellentissimi Oerstaedtii experimentis cum electricitate intimo foedere junctum magnetismum mineralem plane negat vimque attractivam aufert, eadem forsitan ratione in lac agit; neque alienum videtur, effectus exinde derivari, quos fumationes ex acido muriatico paratae praebent, cum non oxygenii adauctio salubrem illum dat eventum. Carbo ex multis experimentis eodem modo applicatur cum eodem ac felici eventu; caro jam putrescens carbone obtecta brevi odorem septicum gustumque amittit, opposito carbonis polo vi galvanica limitata. Et ex qua alia natura, mira illa gasorum absorptio in carbone observata prodire poterit, nisi e tali polorum oppositorum affinitate?

§. 8. Omnia haec antedicta, galvanismum in odorum formatione operari, non directe probant, quod tummodo fiet, si quemlibet odorem per instrumentum apparatui galvanico simile evocare possimus; sed longius absumus a naturae mysteriis, quam ubi levissimum quidquid vi quadam organica efficitur, omnia, quae scimus, nos ducere queant. Attamen aliquid lucis novissimis temporibus difficillimae rei allatum est; varii nempe odores, ut phosphorici, sulphurici, alliacei sola electricitate educti sunt, qui a caetera electrici massa emanantes se ostenderunt *), eorumque in speculum concavum effectus satis demonstrant, cur frequen-

*) Leslie, inquiry into the nature of heat. 1804.

quentiores et varios evolvi hucusque non licuit. (Cf. *Kastner* Phys. II. p. 613. ss.)

Si his adjungamus alia cum odoribus penetrantibus conjuncta phaenomena, corpora, quae plerumque galvanismo praesenti olere solent, celerem eorum effectum, tamque immensam propagationem, qua per multa milliaria sentiuntur efficaces *) odores, sane hoc naturae mysterium galvanismo optime apertum iri aliorumque sensuum objecto commodius connecti videtur.

Non, ut hanc opinionem firmem, experimenta atque observationes a *F. G. Pivati* institutas appello, quibus probatum putavit materiarum odorem, quae in vitreas hermetice obclusas tubas fuere injectae, frictione tubarum mirum in modum augeri **); multi enim doctissimique viri consenserunt quidem, alii vero neque minoris celebritatis fraudose experimenta facta dixerunt; at satis superque ad nauseam usque de talibus rebus disputatum est.

§. 9. Gravissimarum causarum, quibus ad evaporationem particulorum odorificam exigebantur physiologi, fuit una illa e paucis viribus magnum inter singulos odores discrimen explicandi difficultas. Nisi hoc adfuisset impedimentum, verisimile, principium odorificum, quod in caeteris obedientissimum infantem praebuisset, non tam graviter rejectum esset; hoc vero effluentium corpusculorum hypothesis non laboravit,

---

*) Cf. int. al. Diodori Siculi L. III. n. 46.

**) Dell elettricita medica lettera del Sign. F. G. Pivati al celebre Sign. F. M. Zanotti.

aptissimaque exstitit, quum tactum visumque ad varietatem sentiendam perduceret. Galvanica materia, causa odorum proxima constituta, tot nobis odorum, quot sonorum et colorum varietates ostendet.

Odores et quoad qualitatem et quantitatem inter se differunt; illi diversis corporum sonis an sint per transversales, circulares, longitudinales vibrationes effecti, et singulis coloribus rubris, caeruleis, luteis etc. respondent, quae qualitates non minus quam odorum sunt naturae corporum obnoxiae; hi vero cum gravioribus et altioribus sonis, obscuris et claris colorum radiis analogiam quandam habent.

§. 10. Vis electrica omnibus cum rebus certum habet connexum, qui aut minore aut majore ducendi, isolandi, gignendi facultate se ostendit, iisdem sub conditionibus eandem semper conservans rationem, quamobrem non tam rerum accidens quid, quam potius earum existentiae simul necessarioque affixum, per eam constitutum atque genitum designare voluerim, quod, mutata materia, simul mutatur eamque variam habet formam atque rationem, quibus natura corporum elementaria gaudet. Et quidem galvanismus analogus est aquae; haec enim ubique invenitur, in omnibus naturae regnis, ut vita conservetur, necessaria, sed a solita forma ita remota, ut nonnisi analysi diligentissima partem aquosam constitutivam agnoscas, quam in electrica vi ostendere eo difficilius est, quo nobis hucusque nullum successum dedit materiae electricae aliquantulum diutius pluribusque sensibus perceptibile producendi experimentum, illa vero vis vitalis sine intermedio aquae substrato materiali adhaeret.

At hac elementorum influentia odores gigni itemque modificari inter alia probatur, moschum, zibethum etc. in cloacis suspensos recipere odorem amissum *).

Galvanismus eo modo evocatus in elementa efficacia se exhibeat activus necesse est, quae mutatio, cum non qualitates materiei, sed non nisi gradus singularis actionis et elementorum inter se associatio variantur, certe aliorum sensuum phaenomenis quantitativis comparanda erit, quae neglecta ita remoratur odorum explicationem, ut vix vincendi difficultatesque superandi spes relinquatur Praecipue ab imponderabilibus, luce, calore, electricitate, magnetismo dependet, quae liberae naturam percurrentes materiae facillime conjunguntur cum corporum elementis maximumque quoad horum actum discrimen efficiunt. Alteri enim odorem eripiunt, diminuunt, alteri gignunt, augent, quibus e causis fit, ut permulti odores assimilentur, et unus existat gradus, quo, sicut in prismate colores, omnes collabantur, neque ullum discrimen percipi possit. In regno minerali multa sunt corpora, quae non nisi fricta olfactum afficiunt, florum alii tantum nocte, alii die olent; multa lignorum genera combusta magnopere aliis materiis v. g. cortex cascarillae moscho, aequantur, etsi analysi chemica duce nullam videmus illis similem naturam. Nonnulla animalia singulari nervorum actione turbata, ut mustela vexata, cervorum genus coëundi tempore, proprio atque variabili modo olere solent.

---

*) Linné, odores medicamentorum in Amoenit. acad. Vol. III. XXXVIII.

Majorem quidem indagandi locum argumentandique occasionem nobis haec differentiae quantitativae hypothesis offert, sed magis magisque a certo removet multisque erroribus ansam praebet, nisi per longos et patientes experimentorum decursus confirmetur ejusque natura clarius, quam hucusque, patefiat.

§. 11. Discrimen inter odores igitur positum videtur in elementorum efficacium varietate et divisione. Itaque, si ordinentur, tantum ex illis depromenda esse argumenta ac principia illucet. Physiologi jam diu certae classificationis utilitatem intelligentes eam efficere conati erant. *Linnaeus* [1]) odores in aromaticos, fragrantes, ambrosiacos, alliaceos, hircinos, tetros, nauseosos dividit angustius recto, cum neque omnes odores his sub classibus comprehendi atque observari possunt, neque ex eodem divisionis principio derivantur, pro objectorum natura enim priores classes, pro subjectorum maxime variabili posteriores sunt constitutae. *Haller* [2]) tres nominat classes, odorum suaveolentium, mediorum, et foetorum; lata quidem, sed nimis incerta divisio, quam singulorum odorum per se optima enumeratio non sequitur. *Fourcroy* [3]) eodem laborat vitio, partim cum dividit e qualitate aliis sensibus respondenti, ut odeurs extractives ou muqueuses; huileuses fugaces; partim vero e natura nervum olfactorium commovente. Attamen *Fourcroy* primus characteres corporum externos odorum classificationi adhiberi jussit. Quos *Desvaux* [4])

---

[1]) L. c. p. 195.

[2]) L. c. p. 162 — 168.

[3]) Cloquet, Osphlesiologie. Paris 1821. p. 71.

[4]) Cf. Cloquet ibid.

praebet ordines laudari nequeunt; *Lorry* *) odorum ordinem congrue instituere curavit et classes generales efformavit, quibus qualitates chemicas aliasque sensibiles principium dedit. Sed non a causa proxima inchoatum laborat nimiis angustiis et sollicitatur quadam inanitione, unde male evenit, ut partibus generalibus non omnes singuli odores bene subordinentur. *Rudolphi* **) classem generalem formandi consuetudinem vituperans, odores particulares ea ratione conjungi proponit, qua plantarum familiae in systemate naturali conjungantur. Elementorum viriumque primarum, quae nempe per formam aliosque effectus se praesentes ostendunt, rationem habeamus eo modo dividentes necesse erit, et hoc propositum acutissimo saltem genio convenit.

§. 12. Elementorum hucusque duae repertae sunt classes primariae, imponderabilia nempe, lux, calor, electricitas, magnetismus, et ponderabilia, metalla, metalloïda, oxygenium, hydrogenium, azoticum ***). A penitiore imponderabilium cognitione valde quidem scientiae naturalis progressu aucta, tantum absumus, quin satis quidem habeamus explicatum, utrum sint materiae, an signa materiae activae, an inter se differant, an non, atque una prorsus eademque vis vario modo modificata singulos quosque sensus pro certis legibus afficiat, absque experientia semper haec desi-

*) Histoire et Memoires de la societé royale de Medécine. an. 1784 et 85. p. 306 — 318.

**) Physiologie I. p. 115. cf. c. p. 100.

***) Berzelius, Grundrifs der Chemie. T. I. 1.

derantur. Id vero pro certo habemus, quod solummodo corporibus affixa apparent, eoque magis sunt efficacia, quo magis corpora sunt composita, ita ut ponderabilibus duntaxat obnoxia videantur.

E praevalenti vel hoc illo elemento ponderabili hos odorum ordines formemus: 1) odores minerales, 2) odores vegetabiles, 3) odores animales. Unus ex altero eo sequitur, quo corporum characteres alios sensus incitantes, quo una forma ex altera, et quo corpora a simplicibus ad magis composita, sensim sensimque ad vim vitalem exercentia in ipsa natura progrediuntur.

§. 13. 1) *Odores minerales.* Quibus evolvuntur aut sunt elementa, quorum vis per materiae ad inertiam propensionem plane superatur, aut sunt eae elementorum compositiones, quae propter corpusculorum actionem oppositam indifferentes fiunt, v. c. aqua, terrae, eamque ob causam tum demum reviviscunt, cum vel triplicem mixtionem accipiant, vel multiplicem, vel ex imponderabilium influentiis unius alteriusve praevalentia manifestatur. Singulae conjunctiones chemicae producunt quaecunque proprium odorem. Metalla cum carbone conjuncta odorem efficiunt, qui propter magnam ad rigiditatem inclinationem vix paucis submissus est commutationibus quantitativis; eadem cum sulphure pro adversa fere natura magis perceptibilem, volatilem, variabilem; cum oxygenio longe saepissime mixta propter liberam oxygenii vim attractivam, itaque pluribus aliis viribus obnoxia differentem agilemque gignunt odorem. Composita haec inter se conjuncta salia formant, quae ita sunt singu-

laria, ut vires organici formandi studio incumbentes solvantur atque limitentur. Forma crystallina ad organismos quidem traductae, pellucido vero splendore perfectissimam elementorum quietem significantes haec materiae tantum ab externis, sed facillimis excitantur influentiis, calore, luce, aqua etc.; ita vero turbatae atque mutatae efficiunt odores salinos, qui aut basi aut acido magis praevalent, cum salia neutralia inodora habenda videntur.

§. 14. 2) *Odores vegetabiles.* Quum nisus formativi ac materiae inertis vires nimis vacillarint, prioris ordinis characterem generalem invenire atque confirmare non licuit. In vegetabilibus praevalet carbo, qui omnes reducendi modos efficiens et vitam plantarum constituens, nutritionem atque singularitatem procreare prorsus aut certe modificare videtur *). Ex differenti hujus principii potestate, simul cum varia forma atque structura etiam odores valde inter se differunt. Primum adyti locum tenent algae, fungi, musci, filices, orchites, liliae, incertae atque imperfectae figurae plantae, quarum carbogenium primo formationem accipere acceptamque firmare laborat, deinde vero, planta ad efflorescentiam elata, varias per proportiones se cum hydrogenio conjungit producitque odorem carbono-hydrogenosum. Piperis, Amaranthi, Euphorbii genera, quas antea solummodo in perfectiori plantarum metamorphosi vidimus vires jam in trunco, foliis afferunt; in floribus vero majorem hydrogenii, oxygenii, metallici massam carbogenium connectit et ad orga-

---

*) Walther, l. c. T. I. p. 81.

ticum quoddam conformat, odorem resinosum evolvens, qui in vegetabilibus nucamentiferis atque coniferis ita augetur atque determinatur, ut jam truncus resinosum oleat, flores vero magnam afferentes perfectionem varietatemque compositionis, hydrogenii praevalentiam magis magisque affirment. Tandem oxygenii accessu sublevatae odorem aethereo-oleosum efficiunt, quem in compositis plantis admodum observare licet. Hac majori oxygenii quantitate vegetabilia appropinquantur animalibus iisque assimilantur, ita ut plantae pennatae phaenomena producant irritabilitati sensibilitatique maximopere analoga, quo in sphaeram vocantur valde distantem et priori ita dissimilem, ut indifferentes se habeant earumque olens galvanicum per se vix perceptibile adjunctis tantum luce, calore, electricitate odoratum incitet proprie atque commutet.

Cum talis multiplicis mixtionis variabiles sint in plantis effectus, dubitare non licet, imponderabilium in vegetabiles odores influentiam fore eam in minerales longe superantem et quidem eadem ratione, qua hujus aut illius substantiae vires praevaleant; itaque majorem quoad corporum odorem aut similitudinem, aut dissimilitudinem efficiunt, quas quantitativas cum qualitativis confundere solent homines.

§. 15. 3) *Odores animales.* Organismus animalium sub variis mixtionis atque formae conditionibus existens, pluribus gavisus materiis simplicibus, quam vegetabilium, naturam carbonici revellere et azoticum materiasque ei respondentes sibi assimilare laborans nobis odorum ordinem praecedenti valde dissimilem dabit. Zoophytorum odor pro externo charactere ve-

getabili pauxillum tantum azotico apparet affinis. Vermium ille propter incipientem azotici praevalentiam vix sentitur, cum et azoticum et carbonicum, ut formam condant fixam, conflictantur. In Molluscis, Crustaceis azotici vigor clarior elucet, aliaque elementa gloriose superans; quapropter odores vermalibus insignius olent et ad intimum sensum penetrant. Insecta multifaria forma, colore insignia, etiam odoratui praebent varias diversasque sensationes. Quantitatem azotici et hydrogenii summopere auctam aliasque substantias inductas invenimus, quibus plurima accipere vim corrosivam constat. Evolvunt odorem azotico-hydrogenosum maxime solutum, ita ut purum propemodum sentias odorem ammoniacalem. Ab his inde animalibus magis magisque perficiuntur corpora viva, locupletantur variis materiis atque organis et in unum conciliandi nisu determinantur; nec igitur materiae azotici et hydrogenii activitatem limitantes desunt. In piscibus amphibiisque oxygenium, alkali, phosphor, calx, odorem saponatum efficientes, sunt constitutivae illae invicemque debilitantes materiae. Hunc ad unitatem nisum perfectiorem et efficaciorem ostendunt aves irritabilitate instructae, cui quidem gignendae omnes impendunt vires neque restare potest, quo varietatem odorum spectabilem accipiamus. In mammalibus irritabilitati opposita formatur sensibilitas per se quoad ipsam formam existens atque agens. Particularem igitur puto odorum naturam ex summo vitae gradu esse derivandam, variabilem vero video pro certis quibusdam locis. Maximam horum odo-

rum vitalitatem probant sane illi per nervorum excellentiam evocati odores, Moschi, Castorei, Sebi etc.

Equidem hoc in regno quam maximam esse imponderabilium influentiam memorari vix necesse videtur; quam miram vim propter intimum odorum cum principio vitali connexum diligentissimis tantum experimentis sedulisque observationibus debite indagare atque explicare poterimus.

CAPUT II.

DE ODORUM IN ANIMALIA EFFECTIBUS.

§. 16. Ex his antea dictis sequitur, odores summa corporum actione effectos, systema nervosum omnino valde penetrare atque incitare debere, vario modo e singulorum animalium qualitatibus. Vix unum repeтiemus animal, quod non organa odoribus patentia acceperit, et sane ad vitam sustinendam et generis et individui esse necessaria, valde probabile videtur, quum foeminarum et ciborum locum soli odores indicant. Nullus certe alius sensus huic consilio est opportunior olfactu, nam et melior quam aliorum quis attentione licet deficiente, appropinquantis periculi nuntius, et vis affectionis sane omnium superat sensuum facilimeque reddit animal attentum, et ob connexum atque consensum cum nutritionis organis, systemateque gangliari, prae caeteris valet materias, ut digerantur, aptas animalibus, judicio atque cauto animo prorsus carentibus, significare. Eo modo insecta odoratu duce cibum inveniunt, cum ab alio sensu per distantiam

efficaci vis illa derivari certe non poterit; et in iis, quae odoratu destituta putarunt physiologi, nuper repertum habemus [1]). Apes florum odorem mirabili modo sequuntur; per multa milliaria muscarum turbae ad carnem putrescentem peregrinantur. Et pisces eo observare videntur, ut arripiant cibum effugiantque hostibus; odoratui duntaxat non minorem effectum tribuere possumus quam auditui [2]). Vultures ex Asia, Pharsalicae cladis cadavera ut captarent, venisse dicunt. Benjowsky [3]) narrat, canem, quem Kamtschadalis quidam secum duxerit, jam longe antequam vidissent terram, odorem captasse eoque maximo cum gaudio impletum fuisse, quod omnibus sociis certissimum terrae vicinae signum exstiterit. Forsitan his ab observationibus non abhorrent avium peregrinationes annuae neque sunt diversae; nam similia illa muris peregrinantis itinera, haud dubie magis naturae congrua ex odorum vi attractiva quam ex mutata luce, calore, penuria nutrimentorum, e quibus aliis nescio latentibus causis explicantur, quum illa omnino non magna iis sint incitamenta, neque ardor ille, quo peregrinantes lacus, naves, montes et omnia, quae occurrunt, obstacula transcendunt, ex iis gigni potest, cui vero analogum quid canis dominum investigans ostendit.

---

[1]) Rosenthal in Reil's u. Autenrieth's Archiv für Physiologie IX. 3. p. 427.

[2]) Plinii hist. nat. X. 70. Alex. Monro Vergleichung des Baues und der Physiologie der Fische mit dem Bau des Menschen. A. d. E. Leipzig 1787. p. 133.

[3]) Reisen durch Sibirien und Kamtschatka; übersetzt von Forster. Berlin 1806.

Leonem sine strepitu ulloque alio signo appropinquantem canes indicant ululatum incipientes, confugiuntque ad dominum; nec hujus perceptionis causa visus, auditus, tactus nominari potest, sed solummodo odoratu custos inimicum cognoscit. Aviculas, mures, sciuros halitu serpentis caudisoni incantari sopientesque redditos in faucem illabi *), taurumque vaccam lascivam a praegnanti discernere odore **) narrant.

§. 17. Odorum effectus hucusque laudati certis legibus determinantur, quibus naturae cura judicium, quod deest animalibus inferioris ordinis, supplevit et instincti provinciam formavit. Homo igitur quoad legitimos hos odores nimirum a brutis superatur. Nam etsi sagax Arabum odoratus in campis desertis per plura milliaria casae fumum sentiat ***), vel Indi Americae borealis per odoratum hostes persequantur ****), tamen nil valet si cum sagacissimo animalium odoratu comparemus.

Odores minerales propter nimiam indifferentiam nullos habent in animalia effectus; vegetabilium tantum atque animalium odores systema reproductivum commovent atque in actum conjiciunt. Horum sunt alii, qui solummodo, neque citra, neque ultra hoc agant; alii vero, qui in animalibus superioris ordinis etiam,

*) Haller, l. c. p. 151.

**) Linné, l. c. additamenta.

***) Constantinopel und St. Petersburg, eine Zeitschrift. 1805. 1. p. 32.

****) Urlsperger, Nachricht v. d. Groſsbrit. Col. Salzburger Emigranten in Amerika. Vol. I. p. 862.

ut sic dicam, sensationem voluntariam efficiant, non vitae individuali, aut generali, sed voluptati tantum destinatam. Praecipue imaginationem brutarum evocant, et cum nullus alius fere stimulus sit fortior in sensorii commotione quam odores; mirum in modum augent, nobilitant. An huic effectui sufficiat odorum compositio (discrimen qualitativum) an etiam differentia quaedam inter elementorum proportionem (discrimen quantitativum) requiratur, difficile est judicatu. Sed, ut modi et numeri percipiantur, semper quaedam rationis facultas desideratur, quam et auditus phaenomena tantum in animalibus magis perfectis, v. g. in cane ostendunt; cupidinis, tristitiae, alacritatis, quos diversorum odorum natura producit affectus ex absoluta nervorum mixtione eaque mutata potius, quam e numeratione variorum effectuum atque assimilatione sunt explicandi, neque longius abest, ut conjiciamus, eam ab causam nonnullos odores hominem spasmis opprimere, qui in animalibus effectibus oppositis gaudeant. In quadrupedibus perfectioribus interdiu conjuncta esse potest et una et altera causa voluntariorum effectuum; aves enim inferioraque quadrupedia eo non patiuntur variabili effectu, sed certo atque stabili modo sentiunt. Feles a teucrio maro et nepeta cataria ita afficiuntur, ut quasi rabidae volutentur, exululent, convulsionibus laboranti persimiles; in cane odorem moschi inducente eosdem fere motus vidi convulsivos. Qua quidem aucta sagacique sensatione nemo attonitus stabit, qui memoriae sibi revocaverit, quot alias plane nobis occultas naturae mutationes, jam longe

antequam nos divinassemus animalia aperte cognoverint *).

§. 18. Odorum effectus elementorum conjunctione proditi et, ut corporum penetrantium vires testantur, forsitan nervorum mixtionem commutantes longe frequentissimos in animalibus invenimus. Multorum vita psychica instincto excelsior, ratione inferior, solummodo ab odoratus influentia excitatur; nulla alia res certius momentorum reducit recordationem, quae gaudio vel taedio antea implerunt, quam odores. Canis dominum permultos annos absentem odoribus distinguit, inimicorum perspiratione eadem ira commovetur, qua injuriae tempore, et quae hac de re narrantur historiae vix credibiles videntur. Neque minus elephas, leo facillime cognoscunt ex odore, qui bene aut male eos tractarint. An sit aliquid vivacitatis laetitiaeque, quas in patriam animalia redeuntia ostendunt, odoratui adscribendum, vix discernere possumus, cum tot aliae gravissimique momenti res corpus ac animum permanent; attamen memorabile videtur solummodo fere in brutis odoratu sagace instructis, illos affectus observari.

Animi propensiones hoc sensu in animalibus modificari et vel attrahi, vel repelli affirmatur. Columbas asae foetidae odore columbarium celeriter relinquere, facile vero anethi odore attrahi gaudioque affici, jam inter pueros notum. Sues sunt, qui erga omnes et ipsos custodes feri atque furiosi, erga singulos vero homines, caeteris plane simillimos, mites atque sequa-

---

*) Hennings, über Ahnungen und Visionen. II. p. 431.

ces se ostendunt, sed quasi anxietate perpessi refugere quam primum odores, quos fragrantes dicimus in amico senserunt *). Gaudii, alacritatis, tristitiae, irae saepissime in animalibus observatae affectiones et aut ex absoluto quodam systematis nervosi statu, aut ex qualitate aëris, terrae, aut ex aliis similibus rebus derivatae aeque ac praecedentes ab odoratus connexu cum sensorio efficiuntur. Irae ferocitatisque gradum certorum corporum odore evocari atque exacerbari posse, observatione probatur, nonnullarum ferarum sanguinis sitim valde augeri pro differenti corporum odore. Sic notum, leonem multo esse saeviorem in Africanos singulariter olentes, quam in Europaeos.

§. 19. Itaque odorum in animalia effectus et voluntarii et non voluntarii sunt, quos ultimos natura obtulit duces ut individui et generis existentiam tueantur. In his igitur nil fortuito accidere poterit, sed quam semel odor aliquis evocat actionem, semper evocabit, siquidem fini respondeat, et quod ab unius odoratu aut noxium aut utile percipitur, omnibus ejusdem generis animalibus eodem modo ostendatur, necesse est, sicuti inter homines ideae ratione elaboratae ubique valent. Hi odores limitati praecipue systema gangliare movent, et, cum ab eo systema cerebrale superetur, effectus impetu nati longe sunt praevalidi voluntati submissis. Effectus voluntarios eos nominamus, qui ex incitamentorum natura non directe in corpus vim exercent, sed tantum per cerebrum ejusque vitam propriam incedunt. Quam ob rem prae-

*) Bingley, Thierseelenkunde, T. II.

sertim consuetudine modificantur et tum praecipue observantur, cum alicujus facti forte hoc cum odore conjuncti memoriam renovant, quae animi facultas in animalibus est maxime excellens. Sed absoluta imaginum atque sensationum procreatio impetu non efficitur, neque est nisi opinata in brutis.

Animalium cerebri fibrae minus quam hominum mobiles, fortiora sibi exposcunt incitamenta, quae, quum producentis vi sint aequalia prae caeteris e materiarum compositarum odoribus recipienda erunt, quales sunt odores animales paucique vegetabiles, facile cum azotico, calore, luce, conjungendi.

Cum ille sensus, quem instinctum vocant, certe commutationem systematis reproductivi constituat, odores materiarum ad animalia conservanda necessariarum ita consentient, ut odores vegetabiles sint grati herbivoris, animales vero carnivoris et ingrati alio modo viventibus *).

§. 20. Cum in odorum natura ea est praecipue efficax vis, quae omnium maxime polarica habetur atque probatur, conjunctiones, quas odores cum aliis formant et qui inde resultant effectus respectandi atque ordinandi erunt. Animalia quidem hic modus omnino non aggredi videtur, cum nullum alium, quem in simplicibus odoribus, ostendant sensum. Frequentissima odorum connexorum phaenomena caro putrescens affert, cui mineralis et animalis quidam adest odor; sed animalia carnivora tantum absunt, ut has carnes repudient, ut majorem fere cupidinem ostendant; et certe

in

*) Perrault, essay de physique. T. III. p. 68.

in odoratum efficaciam putredo adauget, a remotissimis enim locis excitata animalia veniunt cadavera raptatura. Re vera fortasse putridi illi odores sunt simplices, cum animalia, ut jam ante dictum, odores minerales non percipiant.

CAPUT III.

DE NONNULLIS REBUS, QUAE DIFFERENTIAM INTER HOMINES ET CAETERA ANIMALIA IN ODORUM EFFICACIA CONSTITUUNT.

§. 21. Quo in caeteris animalibus natura omnem formationis vim ad nervos gangliares misit iisque centrum sensile creavit, cerebrum vero ejusque vitam psychicam minus curavit, eo alium oppositumque sibi elegit typum humanum, quo summum perfectionis florem egredi jussit. Cerebrum extensionem accepit longe aliorum animalium superantem *): omnia, quae homines agunt, inde originem ducunt, et qui in animalibus pro intimo systematis nervorum principis cum nutritione connexu instinctus nobis se obtulit, in homine ad divinae rationis formam assurgit; non quidem eadem est cum instincto, sed majora atque remotiora, quam individui conservandi vel generis propagandi necessitatem sentiens, est illa potius domina omnium et regina, ut *Baglivus* dixit, per quam consequentia videt homo, principia et causas conjicit co-

---

*) Soemmerring, de basi encephali et originibus nervorum cranio egredientium. p. 17.

orumque progressus eventusque auguratur et ex rebus praesentibus assequitur et prospicit futuras. Dei ideam sibi fingit semperque in se ipsa ut majorem perfectionis gradum consequatur, novas facultates invenit, jureque dux existentiae vocatur.

E cerebri natura omnia, quae a sensibus accipiuntur, magis ad illud, quam ullum aliud organum fluunt, ejusque vim agendi magis excitant, quam in aliis animalibus. Itaque etiam odorum efficacia praecipue in cerebro focum inveniet, per proprium a nervo olfactorio communicatum incitamentum rationis sedem commovebit atque phaenomena majori animi perfectioni respondentia evocabit. Ita excitantur ideae, imagines valde differentes ab instincti animalium sensationibus, quae nonnisi ad corpus relatae nil nisi hoc conservandum atque multiplicandum curant; ratio vero contra facit, quum a corporibus abstrahens studet illorum naturam relationemque explicare. Quapropter in homine majorem quam in animalibus percipiemus varietatem gratarum aut ingratarum sensationum ex olfactu.

§. 22. Fieri nequitur, talem facultatem in corpore avulsam existere animique vitam via directa ad reproductionis sphaeram descendere, sed ut ambarum humanae naturae partium et animi et corporis efficacia aeque conservetur ex legibus generalibus intermedium quoddam desideratur, quod neque systemati gangliari, neque cerebrali nimis submissum inter utrumque positum, et utrumque excitet atque commoveat. Temperamentum, quod quidem non homini soli datum est, sed etiam in animalibus superioribus, quamquam non satis excultum saepiusque instincto conge-

nitum reperitur, his gaudet qualitatibus. Est facultas pro singulari corporis tono atque actione determinata, impressiones per sensum acceptas certum in modum digerere atque assimilare, qua abunde elucet, praesertim singularem corporis structuram, formam ac receptivitatem, singularem sensuum incitabilitatem i. e. temperamentum constituere. Fons est diversorum affectuum atque animi pathematum, gaudii, amoris, voluptatis, irae, odii, tristitiae, anxietatis, formidinis, etc., quorum dignitas nullum certe fugit. Quis nondum senserit invictam eorum atque ineffabilem vim, quam in corpus exercent? quis nondum rationem superante eorum potestate laboraverit? Ergo temperamentum pars animi vitae corporea corpus animumque intimo foedere jungit, et omnes quoque sensuum impressiones primo in illud efficaciam ostendent, deinde vero ad invicem oppositas vitae partes extendent, ex quo temperamenti cum mente connubio phantasia, cum corpore vero diversi status pathici progrediuntur.

§. 23. Phantasia est facultas, per quam imagines olim sensibus nostris obvias ita animo repraesentantur, ut eas sentire ac praesentes habere videamur, et a memoria eo differt, quod objectum per ideam quandam e ratione captam modificat. Nos a sensibili ad insensibile ascêndere; furiosas animi perturbationes miti rationis face illustrare, detestandos impetus ad majora melioraque commutare jubet; illa est, quae rationem frigidam atque vacuam cum natura omnia animanti connectit, quae in rebus adversis submisso animo, in secundis vero modesto atque grato fortunam ferre docet; illa est omnium artium mater, qua absente

nulla sane idea rebus externis accommodetur vitaeque fini conjungatur, quapropter et illa est, quae genus humanum excolit, nobilitat, cum vis animi abstracta difficillima sit conceptu nimisque horrenda; in temperamenti vero actionibus isolatis sensus inferiores praevalerent hominemque brutis assimilarent. Magni sunt sensibilium incitamentorum in phantasiam effectus, inter quos olfactus objecta ultima duntaxat vocari non licet, imo *Rousseavius* prae caeteris imaginationis sensum appellat *) illum.

§. 24. Status pathici, qui e temperamento, aut totam prorsus, aut maximam certe actionis partem in corporis vitam convertente producuntur, accuratius si loquamur, sensibilium incitamentorum influxus corporei habendi videntur, qui propter magnam nervorum in animali organisatione dignitatem omnes fere alios superant stimulos. Commutant musculorum agilitatem, succorum absorptionem, secretionem et, ut paucis dicam, omnes fere functiones animales juvant aut impediunt. In caeteris animalibus jam antea hanc odorum gubernationem observavimus, sed pro majori reproductionis in cerebrum vi frequentiorem atque fortiorem. Eam ob causam et effectus somatici valde differunt; cui differentiae accedit aucta per majorem organorum compositionem actio, perpetua qualiscunque animi facultatum in corpus influentia, vis consuetudinis, idiosyncrasiae, voluntatis etc., ita ut effectus odorum in c. h. multo quidem sint tenuiores, sed quoque multo majori fruantur varietate.

*) Emile I. p. 367.

§. 25. Probatur igitur odorum effectus in hominem valde differre ab illis, quos Cap. II. ostendit. Nam nonnullis viribus ac facultatibus, quarum incitamenta sunt odores, animalia omnino sunt destituta, multis vero utuntur ita mutatis atque alienatis, ut vix renoscere possis, et, quae ab initio non fuere diversae influentiae in animalia atque homines, ex caeterarum facultatum proprietatibus dissimiles ac peculiares formantur.

Naturae accessiones hic quoque tam parvae, tamque modicae videntur, ut differentiam saepius fortuito evenisse putemus; certis enim temporibus odores plane ad instincti modum agunt solumque ad systema gangliare trahuntur; ita in foeminis ad spasmos dispositis sensuque acutissimo praeditis observantur, quae syncopen patiuntur, antequam ab aliis hominibus odores sentiuntur *). Ratio minimum valere solet, et temperamentum ad corpus tantum transmittit impressiones. In universum igitur probabile videtur, animi vita mortua, aut mire limitata, odorum vim praecipue corpori esse incitamento, eique fortes afferre mutationes, quae in asphycticis clare apparent. Carnivoris tunc est simillimus homo, qui, ut illi, amat odores sine certa relatione compositos, simpliciores vero vegetabiles atque molestissimos fugit.

Itaque, quo magis homo retrogressus est ad inferiorem quasi organismorum gradum, eo magis odorum effectus ad corpus diriguntur et regulari atque

---

*) Geschichte der Nonne zu Dülmen. Cf. Sonntagsblatt 1819. p. 240 et mult. al.

stabili in certa animalium genera efficaciae respondent. Differentia vero effectuum in hominem et animalia haud dubio prae caeteris in animo ejusque cum temperamento imaginationem formandi facultate posita videtur.

CAPUT IV.

DE ODORUM IN HOMINEM EFFECTIBUS.

§. 26. Quamquam ex his, odorum in hominem efficacia in universum constitui possit, tamen, quod singuli odores in singulis organis, quod in corporis et animi vita valent, explicare opus erit. Hunc odorem plus alio huic vitae parti esse connatum, illum plus alio hanc imaginem excitare, jam multi viri confirmarunt, et caeteris cum sensibus analogia in diem magis asserit, etsi Linnaeo *) fidem non adhibeas alceae odorem tantum prostibula, aut viduas in syncopen conjicere. Sed hujus plus minus insignis cum certis organis atque ideis connubii explicationem a priori instituere propter mancam virium vitalium notionem non solum difficillime, imo prorsus impossibiles erit.

Cum remedia metallica et in genere mineralia praecipue systema gangliare afficiant, regni mineralis odores in illam nervi olfactorii partem, quae gangliis et vitae reproductivae maxime est affinis, se vertere eamque excitare debent. Nam rerum natura certo quodam et admirabili modo ubique expressa eandem semper atque constantem agendi rationem reservabit, etsi

*) L. c.

non videmus et intelligimus. Ex eâdem, quam dicunt, interni effectus causa, majore nempe indifferentia eamque sequente fortissimae assimilationis necessitate derivare licet in olfactum effectus. Claras imagines non evocant, quum intermedio tantum sensorii fiunt excitamenta, qualia lumen non fractum et in colores modificatum offert; non clare sentitur, tamen vi animanti, gignenti mirum in modum omnia inflammat; aut qualia sonus strepitusve dat: antea non respectus subito remotus inextricabili perturbatione nos implet. Multae corporis affectiones ex his odoribus despectis forsitan originem ducunt.

Odores vegetabiles, organica quadam actione educti, constant excelsi vigore interno animantique spiritu. Corpora, quibus ortum debent, jam ad majorem differentiam progressa, adeo systemata corporis nostri afficiunt differentiora, sensorium diversis sensationibus commovent, eamque ob rem percipiuntur. Animi affectiones his influentiis, quae certi cujusdam certo modo advecti status conscientiam evocant, sane pedissequae sunt; simul illis irritabiles sensibilesque corporis partes pro temperamenti activitate longe lateque patent. Itaque, cum e corporis et animi virium excitatione atque conjunctione phantasia prodit, odores vegetabiles prae caeteris sunt imaginationis cultores maximique momenti creatores, qui sicut verborum soni multifarii, gaudii, voluptatis, tristitiae sensus e locis animi abditis atque reconditis excitare cupiunt. Ad infinitum usque propter intimum corporis cum animo connexum extenduntur vegetabilium in illud effectus, ex summo erethismo ad atoniam atque apathiam per varios ca-

sus aegrotantem mittunt. Multae ac diversissimae ab hoc odorum vegetabilium agendi modo generali existunt declinationes, quae valde effectus exspectatos turbant, et, cum in subjecto ac objecto vires compositae inveniantur, non miremur facillimas esse evocatu. Jam dudùm tanquam necessarias atque naturales in usu materiarum olentium interno observatas frequentissime legere licet. Fortasse majori minorive imponderabilium influentiae, nimiae cerebri incitationi, antagonisticae systematis nervorum gangliorum actioni, hanc ludendi quasi vim concedere debemus.

Odores animales excitant quidem phantasiam, sed pro natura galvanico-azotica gaudent majore quam vegetabiles anima, connectunt phantasiam cum superiore illa ratione, quam vero, phantasiae unitam prorsus ac assimilatam, non nisi e sublimiori studio et ideae praevalentia cognoscere possumus. Saepius quidem sine rationis affectione vis imaginationis aucta videtur; utrum hoc in universum per concussionem, nutritionem sensorii efficiatur, an singuli odores certa quadam excitatione directe ideas sublimiores gignant, aeque difficilis est dijudicatu quaestio; ac illa, num multae animi passiones sensationesque ex odoribus ob nimiam volatilitatem non perceptis originem ducant? Forsitan multa sunt cogitata, quae ex his incitamentis subtilioribus simili modo, quo leges asterum motus difinientes e pomo in Newtonis nasum delapso, succum hauriebant, forsitan contagiorum effectus ex vi olfactus in phantasiam derivandi. Phaenomena enim si inde a prima infectione ad morbi erruptionem usque observantur, in cerebro semper occurrit origo, porro, si me-

mores simus remediorum nuper vi contagiorum oppositorum, carbonis, chlorinae, omnia sunt odores destruentia, si denique celeritatem, distantiam, quibus hominem infectum esse audivimus, imaginationis et animi vim erruptionem magnopere variantem recordemur, probabile videtur ejusdem generis mutationes ex olfactu, quae ex auditu et visu, gigni posse, sed ex illo reproductioni magis cognato, diutiores et fortiores. Quanta vero sit vis imaginationis in reproductionem, hydrophobia spuria non in dubio reliquit.

Odorum varietas, quae e duarum tamque diversarum virium conflictu evenit, tanta est, ut v. g. viri vigentis phantasia moschi odore grata voluptate, sine ulla corporis mutatione commoveatur, alius vero languidi, formidine tristitiaque impleatur, alius imo spasmis, apoplexia afficiatur.

I. *Effectus somatici.* §. 27. Saepe negliguntur, quia sensatio antecedens est obscura et vix attentos nos reddit. Quo vero obscurior conscientia, eo major nervorum gangliarium reactio, nam si antagonistarum alter longe ante alterum requiescit, alterius vis maxime praevalida fit. Odorum vis praecipue ab elementorum cum systemate gangliari cognatione dependet et quo minor vitalitatis gradus, eo major potestatis in systema gangliare. Simplicissimus galvanismus omnium maxime excitabit partem reproductivam nervi olfactorii summamque vitae conservandae vim possidebit, quae plexuum gangliarium erethismo ita augetur, ut plane effectus causa non sentiatur. In enormi illa foeminarum hystericarum, quarum temperamentum solum in corpus agit, receptivitate, saepe sine ulla virium effi-

cacium sensatione fortissimae influentiae observantur. Quo magis passio illa exacerbatur, eo frequentioribus premuntur idiosyncrasiis, cum incitamentum non intellectum semper est fortius ineffabiliusque, quam intellectum, sicut malum ignotum, quod conjectamur tantum, magis horrendum videtur, quam notum.

§. 28. Minerales odores sunt, qui his in corpus humanum effectibus gaudent. Non ex animi perturbationibus excitatis vel cerebri actionibus eorum effectus sunt derivandi, sed eodem modo, quo caeteri odores animalia electrochemice afficiunt, sensum gratum aut ingratum pro diversis gradibus nobis creant.

Ferri odor mirum in modum vires restituit et sensum defatigationis removet, plumbi odor exsiccat corpus, hydrargyri, sicut usus internus, salivationem efficit, arsenici vero auget expansionem plexuum abdominalium, efficit excitationem nimiam, deinde mortem partialem aut universalem *).

§. 29. Odores minerales compositi jam longius eamque ob causam clarius in animum agunt, sed non minore vi nervos gangliares afficiunt. Odores carburetorum facile excitant cerebro sensum compressionis, dolorem capitis, sed nervorum abdominalium discordias inter expansionem et contractionem aequant, cum omnes in locum indifferentem nituntur, musculis novam dant agendi vim. Odores ex compositione sulphuris cum aliis fossilibus nati, antea laudatis effectibus se opponunt, motum abdominis evocant, resorptionem augent et saporem saccharatum tandemque vo-

---

*) Barnstorf, de amputatione membrorum.

mitum efficiunt. Odores oxydorum prae aliis glandularum vitam excitare et in universum per nervum olfactorium vim vitalem mirum in modum erigere videntur. Animi vitae quidem nimis sunt indifferentes, qui clari percipiantur, sed a systemate nutriente recepti huic cerebri antagonistae vim, quam habeat necesse est, reddunt. Illi odores, quos ex conjunctione hydrogenii aliis cum elementis evocari diximus, cerebrum ardenti torquent acutoque dolore; brevissima quidem, sed maxima est mutatio, quam in abdominis nervis efficiunt, vis expansiva enim valde augetur, et in individuis erethecis facillime syncopae, deliria apparent.

Ii odores, qui ex horum compositione formantur, salium nempe, valde temperamento sunt subjecti, plerumque vero naturam mineralem reservantes vim, quam priores, commutant, eaque tantum sunt diversi, quod certam excitant cerebri functionem, qua in utroque systemate contrario ad indifferentiam organicam nisum ostendunt. Salium odores praecipue memoriam irritant, quae, omnium animi facultatum infima, cum nervis nutritionis in nexu quodam causali habetur; eaque non novas, sed quae jam fuere, sensationes movente, effectus non tam a modo quam a gradu actionis dependent, an fortiter tenuiterve sensus revocent. At cum simul organa excitantur, quae voluntati submissa dicimus, sensim sensimque vis odorum directa in corpus diminuitur atque tollitur.

§. 30. Cum corporum in nutritionis systema influentiae per olfactum sint directiores atque securiores, quam per deglutitionis et masticationis organa, cum

effectus celeriores sine ulla aliarum virium consumtione ad digestionem necessaria, fiant, odorum usus saepe indicatus aliisque remediorum applicandi methodis praeferendus videtur, et in primis mineralium, cum animum non perturbent, per intimum tamen animi cum corpore connexum leviter eum commovant. Accipiuntur a foeminis vel maxime invalidis nec unquam phaenomena irregularia permittuntur, quibus sequentes odorum classes medicum sollicitare solent. Nam una tantum illis offertur agendi provincia. Sane vero, ut bono justoque eventu aegroti fruantur, sanandi regulae ratione et experientia suffultae spectandae et aetates, sexus, vitae genera, consuetudines, morborum naturae debite observandae sunt. Hysteriam, hypochondriam, epilepsiam aliosque similes morbos sanandi spes ex phaenomenis in corpore sano observatis accrescit. Forsan et ille nervi olfactorii torpor, qui nil olidi percipit, et vitium est aut congenitum, aut a morbo nervoso relictum, aut metastasi productum, per odores minerales sanatur, qui praesertim nervorum vim reproductivam firmant adaugentque.

II. *Effectus in animum.* a) *In animum inferiorem.* §. 31. Etsi hi effectus propter nimiam excellentiam nunquam non observabantur, tamen momentorum, quibus modificantur, studium plane oblitum et relictum remansit. Ex ipsa olfactus natura egressam esse hanc negligentiam probatur, quum nullus alius sensus facilius mittat sentiendi discernendique aciem. Nigritarum olfactus valde diminuitur diaeta, quae ex simplicibus formatur cibis, commutata, et Brachmanae modice viventes, Grose teste, florum odore vivacissime affi-

ciuntur, eoque ita affines sunt naturae, quo nos per avium cantilenas. Europaei vero, multis maximisque incitamentis debilitati fortissimos tantum sentiunt odores, qui propter vim penetrantem non animo quieto dissolvi atque explicari possunt.

Odores vegetabiles in animalibus solummodo instinctum afficiunt eumque voluptate aut horrore implent. Temperamentum vero in homine subtilius conformatum, facile incitamento animato commovetur, commotum animi sedem excitat evocatque status affectuum animique perturbationes. Quo magis animum politum et sensibilem invenimus, eo facilius et certius illum, contra vero eo magis corpori inversum effectum videbimus; multae gignuntur idiosyncrasiae aliaque phaenomena irregularia, quum galvanismus subtilius adeo formatus evanescat, activa vero materia contraria atque lacerata sentiatur.

§. 32. Quum odores vegetabiles pro eorum natura organica cum conscientia clara percipiuntur; initio gratam aut ingratam cerebri affectionem evocant, qua elucet, aut male aut bene vitalem vim commoveri, et exinde animi ac corporis sensationes sequi. Si bene commovetur, affectus excitantes, si male deprimentes evadunt. Nam vi corporis olentis vitali magis adaucta, imagineque magis soluta, effectus fortiores atque liberiores nutriuntur. Ex ita natis et cum idea quadam conjunctis affectibus phantasiae primitiae resultant.

Illa odorum aut voluptuosa aut molesta sensatio a minore aut majore, ut nonnulli putant *) materia-

---

*) Sprengel, Anleitung zur Kenntnifs der Gewächse. I. p. 161.

rum compositione dependere haud dubie nequit, cum corporum, ut ita loquar, harmonia vel disharmonia rationi tantum, his sane odoribus non commotae gratas aut ingratas mutationes afferre videantur; ex illa sententia omnes regni animalis odores foetidi atque nauseosi esse oportent.

§. 33. Primus odorum vegetabilium ordo, fungorum, muscorum, liliarum, et memoriam et praecipue molestum illum gravedinis capitis sensum procreat, qui saepius ad soporem usque doloremque capitis augetur *). Magnam omnino ad systema gangliorum affinitatem ostendunt, propter sublimiorem perfectionem prae aliis vim in cerebri substantiam cineream convertentes. Cerebri concordiam perturbantes, formidinem et tristitiam evocant, si mala cum hac sensatione conjuncta est prioris voluptatis recordatio; in nostalgiam permutatur, si certae cuidam provinciae vel certis hominibus annexa est, tristitiae genus, quod hoc odorum ordine, simul memoriam eaque prioris fortuna sensum excitante, longe maxime efficitur.

Hunc statum quasi morbosum subsequentes quoque odores gignunt, qui propter naturam inferiorem atque carbonaticam cerebri harmoniam tollunt, sed volatiliores quam antecedentes sensum gravem atque compressum non efficiunt, neque, nisi diutius applicentur, ex nimia incitatione laxatio, languor, capitis dolor et interdum apoplexia nascuntur. Sed quae in omnibus odoribus vicinis affinitas observatur, et hic majorem vel in praecedentem vel subsequentem or-

*) Linné, l. c.

dinem inclinationem manifestare solet, ita ut multi eandem sentiant nauseam atque horrorem quem in illis.

Odores plantarum coniferarum bene afficiunt cerebrum producuntque affectus excitantes. Vi enim odorifica optimam evocant harmoniam, si minus evolutio non impediatur ac galvanismus libere egrediatur. Dant magni gaudii sensum, excitant amorem totum mundum complexurum, voluptatem extasinque formant, quae, diutius si agunt odores resinosi in temperamentum, ex hoc statu quieto in diversam, quam individui natura sibi exposcat partem conjiciuntur, et aut in somnia divina aut in libidinem brutalem nituntur.

Nec desiderantur illi effectus in papilionaceis, quarum odor, faciliori corporum actioni effluens, animi vires clariores nobilioresque reddit atque sublimiorem phantasiae sphaeram aperit. Quis est, quem fabarum, pseudacaciarum florentium odorem percipientem, nondum permanaverit immensa quaedam voluptas, quis non exarserit arcano quodam desiderio?

§. 34. Jam adnotandum videtur, etsi quidem singuli illi vegetabilium odores efficiant singulos laudatos affectus, tamen non contendi posse, omnes affectus illis adversos per certos odorum ordines tolli, aut contra quocunque tempore et quibusvis sub conditionibus sensationes affines gigni atque augeri. Semper causa ejusque complicatio spectanda, et, aeque ac medicus non uno tantum remedio antiphlogistico omnes sanabit inflammationes aut per musicam, picturam omni tempore eosdem natos videbimus effectus: quamquam et illarum sunt genera atque ordines, quae eo, nec alio modo

agunt: non semper et ubicunque iidem ex odoribus evenient effectus. Si vero ex praecedentium in quodve individuum influentiarum cognitione accuratius essent definiendi, credere licet, nullum alium remedium psychicum hos superare odores, meliusque voto respondere. Quot quantasque mutationes in corpore efficerent illi affectus! A nullo alio fere sensu, pro majori cum vi reproductiva olfactus connexu consensuque, tantas evocari constat. Cum non ignotum sit, odores vegetabiles praesertim attentum reddere hominem fortasse morbis acutis adhibere licet, ut palliative primo curemus, tandemque pyrexias et paroxysmos removeamus.

b. *In animum superiorem effectus.* §. 35. Etiam hos jam diu noverunt atque persenserunt homines, accuratius vero determinare non operae habuere. Multas numerabant idiosyncrasias atque antipathias in odores animales, profundius vero inquirere neglexerunt, saepissimeque odores vegetabiles atque animales adeo confuderunt.

Propter naturam omnium maxime animatam, odores animales rationem permutare possunt, et in ipsis brutis plus quam impetu agunt. Nam sunt maxime soluti liberique ad fibras internas commovendas aptissimi, quibus varias imagines atque ideas gignere et directam quandam in rationem habere influentiam permittatur. Ex diversorum enim elementorum conjunctione quoad tempus gratas aut ingratas sensationes percipimus. *Leibnitzius* *) omnem fere eo modo explicat

*) Epist. ad divers. P. I. Epist. 54.

plicat musices vim: „musica, inquit, est exercitium arithmeticae occultum nescientis se numerare animi." Nonne opinari licet, Deum etiam odoribus similem quandam in animum vim dedisse? „Errant enim, qui nil in animo fieri putant, cujus ipsa non sit conscia" *). Plura, quae captum nostrum superant, contemnenda non sunt, sed sapientiae pars erit dum veram illorum naturam per rationem contingere non possumus, effectus saltem externos apparentes diligenter notare et exinde praecepta determinare. Sensatio illa multo debilior certe et per tot tamque connexas causas effecta est, ut vix numerum sentire indeque voluptatem derivare possis. Nihilominus, cum olfactus tanquam sensus per distantiam agens fruatur simul sensationibus variis (cf. *Zenneck* l. c.), certe quoque temporis modus existere oportet, cujus in rationem efficaciam insignem esse arbitror, quamque saepius et ubicunque fere in coloribus fulgidis, aut dissonantiis ad unum non solutis observamus.

Cum odores animales propter majorem vitalitatem ad has conjunctiones sint maxime proclives, frequentissimae in iis observantur. In universum, paucis exceptis, odores animales foetidos reprehendere solent; sed difficile videtur intellectu, quo modo odores tam naturae eorum oppositum producant effectum. Materiae animales a corpore vivo sejunctae valde permutantur et in putrescentiam transeunt, qua quaeque singula prioris vitae pars constitutiva fit sui juris et proprium odorem sibi vindicat; quae corporum meta-

*) Leibnitz ibid.

morphosis in aliis celerius, in aliis tardius fit. Minerales vero odores nimis sunt diversi ab animalibus, quibuscum conjuncti eandem excitant sensationem, quam colores aut soni alieni; addamus intermedium quoddam, v. c. odorem vegetabilem, foetorem amittunt, imo grati olent, v. c. si urinae humanae oleum terebinthinae aut asparagi succus admisceatur. Eodem modo multae materiae foetidae, v. g. varia resinosorum gummatum genera, permixta gratissimo nos delectant odore *).

Quam vero odorum, ut ita dicam, harmoniam ratiociniis definiamus, sedulius causas olfactorias, hucusque ne superficiales quidem notas exploremus necesse erit, itaque tantummodo experientia atque observatio nos erudient.

§. 36. Odores animales propter naturam maxime vitalem mirandis variationibus sunt submissi, quibus semper evocant novas sensationes prohibentque, ne systema nervosum satietur. Eadem vero qualitate diverse tendunt cerebri fibras, neque status ille tranquillus observatur, quem antea vidimus. Ex hoc nescio an derivandum sit illud, quod plurimis hominibus odores animales sint ingrati, foetidi, atque in minimo systematis nervosi erethismo dolorem capitis, spasmos, deliria efficiant.

Primo quidem cerebrum adeo sedant, quam nonnulli odores vegetabiles, sed ad voluptatem somniaque minus invitant; deinde vero efficiunt fibrarum tensionem nimiam, frigidas tantum formant impres-

*) Haller, l. c. p. 163. ss.

siones, donec cerebrum relaxetur, defatigatumque indormiat.

§. 37. Primi odorum ordines zoophytorum molluscorum, vermium, vilem tantum atque debilem producunt effectum, quum fere omne galvanico-odorificum deficiat prorsus, aut admodum limitetur; plerumque imponderabilium vi evocatur, v. g. frictione, ustione etc., eoque modo praeparatum praecipue memoriae renovandae idoneum videtur.

Insecta sicut colore oculos, ita odore nasum vario modo afficiunt, phantasiae partem idealem excitant, ita ut imagines multo quidem sint clariores, minus vero gratae atque sensualitati affines. Attamen nunquam eum consequuntur efficaciae gradum, qui imaginationis sedem relaxet atque dirimat. Piscium et amphibiorum odor omnino fere ad regnum anorganicum reducitur, quum neque phantasiam, neque rationem conclamet, sed tantum temperamenti partem gangliarem incitet, quo anxietatem, nauseam, spasmos, vomitum efficit. Plurimis itaque valde ingratus magnam inter animi et corporis facultates discordiam efficit. Avium odores sensum compressionis excitantes, primo in substantiam cerebri corticalem ingrediuntur, sensus atque motus evocant, qui vero ob incitamentorum naturam valde volatilem mobilemque non corpori communicantur et tantum in animi tabernaculis retinentur. Gratae igitur aut ingratae incitationis sensum initio efficiunt, quapropter magis intelligendi facultatem, quam novarum imaginum copiam augent.

In mammalium odoribus observatur vis et corpus et animum commutans, quae alia propter summam

illorum vitam esse nequit. Occasionem dat ideae vim praevalidam ostendere, ita ut phantasiae sublimiores formas cognoscas.

§. 38. Sane, ut jam de vegetabilibus dictum, neque odores animales semper eosdem excipiunt effectus oppositosve tollunt, neque in idem omnium individuorum systema agunt. Cum enim nonnulli sint morbi, qui organismum ad inferiorem quasi locum dejiciant facile est intellectu, omnia incitamenta retroitui respondere, praesertim vero, quae propter congenitam vitalitatem illa dejecta organa fortius afficiant. Síc moschus aegrotantibus periculosum paene atque spasticum est incitamentum, aliis vero asa foetida, pennae ustae voluptuosum quid atque sanabile afferunt, qui quidem effectus differentissimi certe non solo ab odorum vigore dependent. Ita multas idiosyncrasias explicari licet, quibus aegri illi turbantur; ita etiam, quod asphyctici per odores proprie tantum in organis jam mortuis efficaces in vitam revocantur; nam, qui vim cerebri plasticam antea commoverunt ad ultimum animalium gradum regressos ita afficiunt, ut vivum adhuc systema gangliare ad actum evocent, eoque alias quoque vitae partes animent, sic armoracea, sic cepae, sic plumae agere videntur.

Porro, multa phaenomena primo aspectu repugnantia a quantitativa virium externarum influentia dependent, quae praecipue eam ob causam est observanda, quod saepissime ita commutat alienatque effectus, ut plane diversos habere pelliciemur. Itaque studio incumbere necesse erit, ut corpora, quae plerumque vi imponderabilium sunt exposita, accuratius

cognoscamus mutationisque regulas indagemus. Tum demum objectorum ita mutabilium effectus sincere atque debite praedicere poterimus, nec perhorrescemus, si locum, quem paullo ante absque periculo frequentavimus, subito odoribus pestiferis impletum sentiamus; nec mirabimur, si corpora, quae alias diversissime oleant, nunc eadem odoremur. Maximae vero necessitatis hanc notionem credo, si certo quodam consilio ea adhibere cupiamus; illa enim neglecta pro effectibus, quos exspectamus salutares, noxios habemus atque plane contraindicatos, quos variabili nervorum receptivitati, tensioni, nescio cui alio adscribere amamus. Alii odorum in alios homines effectus sane non aliis e causis, e quibus diversi medicamentorum, ciborum effectus, derivari possunt. Num vero causae illum explicantes nobis deficiunt atque inquisitos nos sollicitant? Sexcentenas rudis quaeque muliercula nobis offert. Haec enim phaenomena frequentiora sunt, quae admiranda nobis remaneant: et sane totum genus humanum eo laborat vitio, quod frequentiora despicit, rariora tantum admiratur.

§. 39. Itaque de odoribus magis observatis, excultis, applicatis non minus bene est sperandum, quam de cujusvis alius sensus objectis. Nam quae in iis desiderantur in animum commovendum influentia, aut voluntariarum perceptionum claritatem efficiendi vis, quibus auditus et visus magis excellent, satis superque, quas in corpus humanum exercent, virtutes restituunt. Sed non ita sunt exculti, ut omnes, quas in animum exercere possint vires, liqueant; natura enim, etsi quae sentiat simplici ac arcano quodam

modo exprimit et ex intimo pectore animi affectus elicit, tamen nonnisi imagines sensusque generales nobis animadvertentibus proponit; phantasiam vero atque judicium, quibus jungamus, quae jungi possint, usui nobis dedit alma mater, ut ex his determinatis sensationibus certam atque claram significationem inveniamus, componamus, quam quiscunque alius eodem fere modo intelligat, intellectamque reddat.

VITAE CURRICULUM,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego, Carolus Lucianus de Möller, patre Guilelmo de Möller, medico, matre Friederica, e gente Woermaniana, anno MDCCCIV. Mindae natus, usque ad aetatis annum decimum sextum in patriae urbis gymnasio institutionem literariam accepi. Hoc tempore Halam, ut paedagogii regii alumnus fierem, me contuli, ibique per biennium versato Gottingae artis medicae studium ordiri contigit, et Prorectore Magnifico Pott die XXVIII. m. Octobris a. MDCCCXXI. civium academicorum numero adscriptus sum. Per trium annorum cursum his interfui praelectionibus virorum Illustrissimorum Blumenbach, Langenbeck, Strohmeyer, Mayer, Himly, Hausmann, Schrader, Thibaut, Schulz, Hempel et Kraus de anatomia, neurologia, osteologia, historia naturali, logice, mathematice, physice, ana-

tomia comparata, botanice generali et pharmaceutica, physiologia, chemia, mineralogia, pathologia, materia medica, therapia generali et speciali, chirurgia et ophthalmologia; itemque cadaverum sectionibus atque clinici usu doctus in universitatem Berolinensem migravi, ubi Rectore Magnifico Illustr. RUDOLPHI d. XXVI. m. Novembris inter cives academicos receptum me Illustr. HORN therapia speciali, Illustr. RUST chirurgia, akiurgia et exercitationibus clinicis, Cels. WAGNER materia medica, clinico Illustr. BERENDS et Illustr. DE SIEBOLD, arte vero cadavera dissecandi Illustr. RUDOLPHI et Illust. KNAPE instituerunt.

Jam vero tentamine examineque rigoroso rite absolutis spero, fore, ut, dissertatione thesibusque, ut fas est, defensis, gratiosa facultas medica summos in utraque medicina honores benevole mihi impertiat.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Nullum vulnus per se letale.

II.

Nulla corpora simplicia.

III.

Doctrina experientiam inutilem reddit.

IV.

Non existit mania occulta.

V.

Morbi, sicut populi, habent suas periodos.